
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Sentencia*

Prot. n. 50273/15 CA

N.

Excercitii ministerii

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

SENTENTIA DEFINITIVA

IN NOMINE DOMINI. AMEN

FRANCISCO PP. feliciter regnante, Pontificatus sui anno V, die 29 novembris 2017, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis Dominico Card. Mamberti, *Praefecto*, Leonardo Card. Sandri, Iosepho Card. Versaldi, *Ponente*, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Philippo Iannone, O. Carm., et Ioanne Villibrordo Maria Hendriks, atque intervenientibus Cl.ma Martha Wegan, tamquam Patrona Rev.di Recurrentis, et Cl.ma Theresia Musso, utpote Patrona Congregationis pro Clericis et Exc.mi Episcopi N, atque Rev.mo D.no Ioanne Paulo Montini, Promotore Iustitiae, hanc definitivam tulit sententiam.

I. Species facti

1. Rev.dus D.nus X, N dioecesi in-
cardinatus, anno 1944 natus atque anno
1984 sacerdotio auctus, parochi offi-
cium per viginti et quinque annos tribus
in paroeciis persolvit. Litteris ad Con-
gregationem pro Clericis die 2 aprilis
2014 datis, ipse recursum porrexit ad-
versus decretum, quo Exc.mus Ordina-
rius N die 20 iunii 2012, renuntiatione
officii paroecialibus porrecta, eiusdem
sacerdotis ministerium severe circums-
cribebat. Quam adversus Exc.mi Ordina-
rii decisionem Rev.dus X remonstra-
tionem iam die 21 iulii 2012 porrexerat,
quam autem Exc.mus Ordinarius die 8
augusti 2012 reiecit. Crebro epistulari
commercio instaurato, Exc.mus Ordina-
rius remonstrationem die 8 augusti
2013 definitive reiecit suumque decre-
tum confirmavit, idque tamen haud de-
finitivum adhuc tenens.

Congregatio autem pro Clericis
recursi a Rev.do X proposito die 5
maii 2014 respondebat materiam *de*
qua Exc.mo Ordinario competere et
Rev.dum Recurrentem adhortabatur ut
aequam controversiae solutionem una
cum Exc.mo Ordinario ipse etiam
quaereret. At Cl.mus Rev.di X Advoca-
tus ad Em.mum Secretarium Status die
23 maii 2014 provocavit de haud serva-
ta ratione quoad modum agendi ex par-
te Exc.mi Ordinarii. Eidem Em.mo
Viro Congregatio pro Clericis suam
mentem de recursus reiectione aperuit:
Rev. Recurrens enim mentionem im-
pugnati decreti omisit, in recursu insu-
per canones ad casum pertinentes desi-
derabantur ac denique peremptorii ad
recurrendum termini iam elapsi erant.

Em.mus Secretarius Status hoc Supremum Tribunal die 19 februarii 2015 inde certius fecit de concessa a Summo Pontifice remissione in terminos, saltem ad cautelam, necnon de competenti casus examine ab hac Signatura Apostolica peragendo.

2. Pluribus difficultatibus superatis quoad actorum ex sermone Y in linguam probatam translationem (et quidem ope sive Rev.di Recurrentis sive Exc.mi Episcopi), Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona die 27 iunii 2016 suum memoriale porrexit, cui respondit, pluribus prorogationibus petitis eidemque concessis, die 24 octobris 2016 Cl.ma partis resistentis Patrona. Voto pro rei veritate a Rev.mo Promotore Iustitiae die 21 novembris 2016 prompto, responsio pro parte recurrente die 2 decembris 2016 obvenit, Cl.ma autem partis resistentis Patrona silente.

Congressus recursum ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus admittendum esse atque facto admitti die 16 decembris 2016 decrevit, insequenti dubii formula die 25 ianuarii 2017 concordata:

«An constet de violatione legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisiones per recursum diei 2 aprilis 2014 apud Congregationem pro Clericis impugnatas».

Exhibitis diebus 1 et 16 martii 2017 memorialibus, respective pro parte recurrente et pro parte resistente, atque die 11 aprilis 2017 voto pro rei veritate exhibito, nunc Nobis est dubio concordato respondendum.

II. In iure et in facto

3. Quaedam inprimis animadvertenda sunt de recursus obiecto. Cum enim Summus Pontifex, gratia remissionis in terminos ad recursum hierarchicum concessa, causam huic Supremo Tribunali definiendam detulerit, nostri est de legitimitate decreti, ab Exc.mo Ordinario lati, videre, decisione Congregationis pro Clericis tamquam silentio seu inertia ad normam can. 57 considerata: «Responsum praesumitur negativum, ad propositionem ulterioris recursus quod attinet».

4. Quoad idem recursus obiectum sedulo etiam animadvertendum est quod nostri non est meritum ingredi quoad asserta delicta contra sextum Decalogi praeceptum, quae sive canonica sive civili sanctione exclusa sunt. Accusationes tamen, seu potius calumniae, de his delictis patratibus rationem constituerunt ut Exc.mus Ordinarius decisiones contra Rev.dum X sumeret. Casus, qui eundem Rev.dum Virum spectat, non obstante negativo investigationum exitu, per media communicationis socialis tam miram diffusionem habuit, ut plures christifideles scandalum de perdurante Rev.di X ministerio reportaverint.

His in adiunctis Exc.mus Episcopus decisiones tulit, administrativae indolis, non autem poenalis, quae exercitium ministerii sacerdotalis magis ac magis coarctaverunt ad scandala ulterius vitanda atque ad periculum praecavendum actiones improprias ex parte sacerdotis forte iterandi. Quae restrictiones, fine finaliter, hae sunt, uti in voto pro

rei veritate ex ordine recoluntur: primo et principaliter Rev.dus X nullam actionem liturgicam agere potest extra sacellum suum privatum nec ullum munus in iisdem liturgicis actionibus exercere, immo ullum munus relate ad officia publica et peregrinationes, intra fines dioecesis N; quae omnia, iuxta iudicium Exc.mi Episcopi, complecterent etiam «concelebrationes omnes et organarii et cantoris munus in actionibus liturgicis». In actis ad rem adest quoque epistula diei 16 ianuarii 2014, qua enumerantur prohibitiones Rev.do X impositae: Sanctam Missam celebrandi; quamcumque aliam participationem activam in actionibus liturgicis assumendi; organum digitis pulsandi vel alia musica munera exercendi; quamvis participationem in Consilio Pastoralis Paroeciali habendi; actiones liturgicas apparandi; psalmos seligendi; aeditui munus exercendi; quodlibet aliud servitium adimplendi, quo minus vel commune esse potest.

Rev.dus Recurrens relatas Exc.mi Episcopi prohibitiones ratione proportionis carere contendit, quae proportionis ratio iure habenda est inter facta attributa et restrictiones ministerii sacerdotalis.

5. Ad quod assertum vitium ponderandum factorum conspectum considerare oportet, modo scilicet quo facta processerunt, in eorum vi dinamica uti aiunt, atque responsabilitatem partium in causa.

Admodum patet interventum Exc.mi Episcopi ortum sumpsisse ex effectibus, quos accusationes contra Rev.dum X quoad violationes sexti Decalogi praecepti pepererunt. Quamquam canonica et civili sanctione sacerdos extra culpam

positus est, evulgatae investigationes animos adeo moverunt, ut paroeciale Rev.di X ministerium fere impossibile evaserit. Qua de re ratus, ipse sacerdos, Exc.mo Episcopo efflagitante, officio parochi renuntiationem porrigere atque inde ministerium publice exercendum intermittere adnuit. Quae veluti conventio inter parochum et Exc.mum Episcopum poenam constituere nequit, quae ceterum quandam similitudinem prae se fert decisionis discretionalis de qua in cann. 1740 et 1741, n. 3. Quam intermissionem tandem negligens, Rev.dus X quibusdam christifidelibus adversantibus ansam dedit. Exc.mus Episcopus, sua ex parte, e contestationibus quorundam christifidelium atque ephemeridum compulsus, non solum sacerdotem reprehendit, sed initiales restrictiones extendere incoepit, usque ad quamlibet publicam sacerdotis apparitionem interdicendam, etiamsi ministerii sacerdotalis haud ligatam (videsis munera organarii, cantoris, sacristae), quae omnia ad Congregationem pro Clericis recursui causam dederunt.

Quae omnia ad hanc usque rerum personarumque condicionem perduxerunt: sacerdos ille, extra culpam quoad delicta contra sextum Decalogi praeceptum posito, prohibitus est nedum publicum ministerium sacerdotale exercere, sed etiam alia munera, etiam quae laicis communia sunt. Eidem sacerdoti superfuit S. Missam in sacello privato litare, exclusa qualibet alia celebratione.

Quae omnia Exc.mus Episcopus tribus rationibus explicavit: gravitate accusationum erga sacerdotem, persona seu caractere Rev.di X et reactione sociali, ut ita dicamus.

6. Ad quam rem quaedam adnotanda adhuc sunt. Ipse Rev.dus X, quippe qui extra culpam ab omnibus accusationibus positus est, passim confitetur se, citra omne delictum contra sextum Decalogi praeceptum, modum agendi cum iuvenibus haud semper prudentem tenuisse atque hodie eundem agendi modum se haud iteraturum fore (uti, exempli causa, accumbens super lectum, minime tamen in lecto recumbens). Insuper idem Rev.dus X, quippe qui acceptavit suum ministerium publicum ad tempus intermittendum ut animi placarentur, dein optatis Exc.mi Episcopi haud obsecundavit, animos emulcendos non permittens sed contestationibus magis favens.

Exc.mus Ordinarius, sua ex parte, quamvis probationum contra sacerdotem expers, opinionem publicam metuit adeo ut in sacerdotem illum semper severius animadverteret usque fere ad reclusionem; nam destitutum eundem reliquit quibusvis muneribus conditioni sacerdotali congruis, immo et quibusdam laicis communibus muneribus.

7. Candide fatendum est primum Exc.mi Episcopi interventum, ferventibus scilicet animis, arguendum non posse si et quatenus ministerium quodam modo coarctavit, quod initio nec sacerdos undequaque contrarium invenit.

Quaestio tamen hic ponitur num rationem proportionis servent ministerii restrictiones nunc vigentes.

Ad quam quaestionem solvendam rationes ab Exc.mo Episcopo adductae insufficientes censendae sunt.

Nam si initio desertio officii paroeccialis in pactum deducta inter Exc.mum Episcopum invitante et sacerdotem

acceptantem rationabilis apparet, etiam sub luce praescripti can. 1741, n. 3 (quidquid est de probatione reapse adepta quoad paroecianos probos et graves), illa tamen desertio haud necessario implicavit vetitum ministerium sacerdotale alibi vel serius exercendi.

Insuper insufficiens evadit et alia ratio, scandalum nimirum seu periculum reincidentiae: ex absolute ab accusationibus periculum illud praevideri rationabiliter nequit, eo magis quod Rev.dus X quasdam imprudentias olim commissas agnovit atque ab iisdem paenituit.

Nec denique opinionis publicae adversantis metus aequa ac legitima ratio exstat; opinionem enim publicam facile quis moliri potest et eo minus opinio illa accusationum probationem sufficere potest (a quibus accusationibus ceterum Rev.dus X sive canonicè sive civiliter extra culpam positus est). Superest quoque interrogatio de officio Exc.mi Episcopi erga sacerdotem dioecesi adscriptum gravibus culpis iniuste accusatum necnon de eiusdem Exc.mi Praesulis officio rectae conscientiae fidelium efformandae erga innocentem sacerdotem iniuste accusatum (cfr. can. 384), eo magis si contra sacerdotem motus struatur famosus. Nec relevat quod Curia accusationes haud evulgaverit: eo minus Rev.dus X, iniuste accusatus, easdem edidit.

Nemo est qui non videat quo modo interventus Exc.mi Episcopi sacerdotem absque defensione reliquit, eius bonam famam reparandam haud curavit, hoc modo praeter suam voluntatem op-

positioni ingravescenti favens. Quae sacerdotis condicio peior adhuc facta est (quidquid est de Rev. di X colore) cum omnes parochi certiores moniti sint ne Rev. dus X invitarent, bonam eiusdem famam hoc modo adhuc difficilius reparandam reddendo.

8. Quibus omnibus consideratis certitudine morali constat servatam non esse in casu proportionis rationem, quae semper servari debet inter acta et decreta, adeo ut ista, apud Congregationem pro Clericis impugnata, illegitimitate in decernendo laborare certo constet.

III. Conclusio

9. Omnibus tum in iure tum in facto aequè rimatis, infrascripti Patres, Christi Nomine invocato, pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum esse decreverunt atque facto respondent:

Affirmative, seu constare de violatione legis in decernendo relate ad decisiones per recursum diei 2 aprilis 2014 apud Congregationem pro Clericis impugnatas.

Pro expensis processualibus cautio in arca H. S. T. deposita retineatur. Partes suae quaeque Patronae congruum solvant emolumentum.

Quam sententiam definitivam cum omnibus quorum interest communicandam et executioni mandandam esse decernimus, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 29 novembris 2017.

(Signati)

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*

Leonardus Card. SANDRI

Iosephus Card. VERSALDI, *Ponens*

+ Philippus IANNONE, O. Carm.

+ Ioannes Villibrordus Maria HENDRIKS

Et notificetur

Die 7 martii 2018

+ Iosephus SCIACCA

Episcopus tit. Fundanus

Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA

vices Praepositi Cancellariae gerens